

Q. N. 387, 189.

(X1883941)

II n
1805

Q. D. B. V.

Ex Historia Civili,

De

FRIDERICO ÆNOBARBO,

DISSERTATIONEM PRIOREM, et II.

PRÆSIDE

M. ELIA WEIHEN- MAJERO, ULM.

publicè defendet

RESPONDENS

DANIEL NICLAS,

Nordlingâ-Svevus.

SS. Theol. & Philos. Studiosus.

D. 18. Maji An. cl. Ioc LXXXIX.

horis pomerid.

BIBLIOTHECA
PONTCKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)



VITENBERGÆ,

TYPIS JOHANNIS WILCKII.

117.





PRÆFATIO.



Constitutum nobis est pro ingenii captu dissequere in presens de FRIDERICO ÆNOBARBO, Imperatore Augusto, Principe majorum stirpe pariter & fama opum fortitudinisq; maximo, & propter præclara facinora dudum posteris tradito, omniumq; ore celebrato. Non verò nostri est instituti de illius rebus universè referre, ac minutissima etiam attingere, quum uberiorem omnium & singulorum ejusdem factorum enumerationem vastum licet volumen, nedum circumscriptum hæc atq; legibus Academicis definita pagellarum angustia, vix ac ne vix quidem capere possit, quocirca opportunius fore credidi, si partem mihi seligerem illius historie, in qua sigillatim enituit fortissimus ille Heros. Proinde ea saltem rerum ab Ænobarbo gestarum capita consuetabor, quæ ad historicam Germaniam, communis patriæ nostræ, notitiam propius spectant, insuperq; præcipuas ejusdem actiones eum Pontificibus Romanis curatius aliquantò ac copiosius persequar, atq; ex fide dignis probatisq; temporum illorum monumentis, (recentiorum tamen scriptorum suffragiis suisq; deq; nequaquam habitis;) ad oculum quasi demonstrabo ac docebo, quanta Princeps noster constantia, quanta insuper prudentia, animiq; magnitudine atq; ardore Cesaream suam auctoritatem contra machinationes Pontificum tueri, exemploq; ad posterum memorabili contra omnes quorumvis hostium molitiones Imperii jura ac libertatem vindicare, & collapsam ejus majestatem instaurare allaboraverit. Verùm nec reliqua Ænobarbi facta, quæ, licet ad duo hæc capita non pertineant, ad amplificandam tamen ejus fortitudinem valent, sicco pede præteribo, sed leviter saltem perstringam. Faxit Deus O. M. ut hæc feliciter succedant!

§. I. Non ab re fuerit stemma proponere, atq; in stirpem & progeniem Principis nostri ante inquirere, quàm de rebus ipsius præclarè gestis commentari aggrediar. Illud itaq; pro certo concessioq; omnes sumunt, eum descendere ex stirpe *Hohenstauffiorum*, qui in Suevia aborigine fuerunt. Majores ejus nobi-
„ *les de Stauffen* (a) mediocres, non infimos nec supremos inter
„ Sueviæ nobiles fuisse memoriæ tradidit *Felix Fabri, monachus Ulmenfis, diligens rerum Sævicarum scriptor*; (b) Eosdemq; successu temporis in bellis adeo fortia egisse & magnifica, ut inter *Barones*, (c) & *liberos* per Cæsares declararentur. Qvendam (d) autem de *Staufen* morientem tres reliquisse filios, *Fridericum* (e) nempe, *Ottonem* & *Conradum* non multò post idem commemorat, atq; *Ottonem* postea Episcopum Argentinensem fuisse factum, *Conradum* autem in florida juventute è vita decessisse, *Fridericum* deniq; militari rei intentum strenuè se gessisse. At enimvero *Fridericum* hunc, quin & majores ejus non *Barones* duntaxat, sed *Comites* potius fuisse, certiore me facit *Otto Frisingensis*, (f) fide dignissimus historiæ *Hohenstauffiorum* scriptor, qui laudatum modò *Fridericum* non solum *Comitem* disertè appellat, verum etiam ex nobilissimis Sueviæ *comitibus* illum originem traxisse affirmat. Quinam verò ex hac familia primus sit *comes* factus, aut à quo etiam Imperatore *Hohenstauffii*, novo hoc honoris gradu tituloq; primùm aucti sint atq; ornati, res valde ambigua est, eamq; litem nunc non attinet expedire.

§. II Se-

(a) Dignus sanè tot fortissimorum heroum natalis locus, qui paulò majore cura atq; industriâ à nobis hic investigetur. *Stauffen* igitur quasi *Steiff* i. e. firmum, stabile, dictum fuisse autumat *Martinus Crusius Annal. Suevic. lib. 4. part. 2. p. 103.* Probè autem nostrum *Stauffen* est distinguendum à *Stauffen Danubiana arce*, cujus *Jo. Aventinus Annal. Boj. lib. 6. p. 380, 381.* meminit, quæ forte est locus ille, qui hodie dicitur *Donastauff*, arx in monte *Bavaria ad Danubium*, cujus in confinio est *Regenstauff* in *Palatinatu Neoburgico*, quæ vel ex mappis *Geographicis* constare poterunt. Conf. *Crusium*, qui l. c. plures arces *Stauffen*

fen dictas recenset. Sed verò illud Stauffen, ex quo Ænobarbus noster originem duxit, situm est in Ducatu Würtembergico in limite ferme Ulmenfis Territorii inter Gæppingam & Gamundiam, à quibus oppidis minus uno milliari distat, nec etiam à celebri illo Laureacensi Monasterio (quod vulgò Eorch) vocatur) supra milliare Germanicum longius abesse fertur. Certum me hujus rei fecerunt partim Felix Fabri Hist. Suev. lib. 1. cap. 12. p. 100. Henricus Bebelius (à Melch. Goldasto inter veteres Suevicarum rerum Scriptores editus.) Epit. Laudum Suevorum p. 38. & in primis Crusius l. c. & lib. 8. part. 2. p. 253. partim testes oculati, à quibus hæc pariter accepi. Ceterum veteres à recentioribus in hujus loci denominatione nonnihil discrepant, etenim Otto Frisingensis de gestis Friderici I. lib. 1. cap. 8. vocat castrum Stoyphe. Abb. Urspergensis in Lothario II. p. 287. appellat Stophen, & p. 290. Stouphen, & sic etiam castrum hoc effert Weingartensis Monachus de Guelfis Principibus, p. 191. At vero Felix Fabri, H. Bebelius II. cc. aliq̄, recentiores Staufen vel Stauffen nuncupant. Aventinus l. c. dixit Hohenstauff, cum quo facit Crusius l. c. atq̄, nostro quoq̄, tempore arx illa vulgò sic vocatur, quoniam in altissimo monte sita est; (quoniam hodie rudera duntaxat hujus castri superesse perhibentur; sanè Crusius sua jam tempestate muros tantum tanquam ossa sine carne ibi extare, tradidit Annal. l. 8. part. 2. p. 253.) cujus subjectus infra montem pagus adhuc vocatur Stauffen, à quo in oppositis montanis haud procul posita est Stauffenecca, eosdem sine dubio conditores cum Hohenstauffen agnoscens, quam quidem arcem nobiles de Staufen quondam edificasse, auctores habeo, quis vero illorum primus ejus conditor speciatim fuerit, hætenus ap. nullum scriptorem reperire potui. Atq̄, hoc est castrum illud, in quo tot barones, comites, duces, imò reges etiam & Imperatores in lucem editi, ab eor̄, Hohenstauffii apud scriptores fuerunt denominati.

(b) Historiæ Suevorum lib. 1. cap. 12. p. 100. Fuit autem Felix hic Monachus Dominicanus, patria Tigurinus, ex nobili & vetustissima Schmiadorum familia oriundus, inq̄, Prædicatorum apud Ulmenses monasterio vixit tempore Friderici III. Imper. potissimum, vir eruditione pro captu illius ævi celebris, scriptor curiosus admodum ac diligens, perscripsit singulari industria studioq̄, Historiam Suevorum, ac sigillatim libro II. res Ulmenses. Quo de vid. Melch. Goldasti præfatio pag. 12. seqq. à quo inter veteres Suevicarum rerum Scriptores hic quoq̄, fuit editus anno 1605. Francof.

(c) Se-

(c) *Seculo jam decimo ineunte Baronem quendam Hohenstauffensem, nomine Fridericum, clarum fuisse, eundemq; sub Henrico Aucupe, & Hermanno Sueviae duce contra Hungaros & Vandalos, presertim ad Mersburgum, fortiter pugnasse, nec non Hastiludio Magdeburgi An. 935. celebrato una cum aliis Comitibus & Baronibus ex Suevia oriundis interfuisse, refert Crusius Annal. Suev. lib. 4. Part. 2. p. 101. & 103. Edit. Francof. A. 1595.*

(d) *Trium horum fratrum à Felice memoratorum parentes nominat Henricum & Hiltegardem Crusius l. 8. part. 2. p. 254. conf. part. ead. lib. 4. p. 103.*

(e) *Hic Fridericus addito cognomine appellatus fuit Antiquus. Crusius l. c.*

(f) *de rebus gestis Friderici I. lib. 1. c. 8. Hic Otto, Frisingæ in Bojaria Episcopus, Friderici Aenobarbi fuit patruus, & in curia ejus præclare versatus, rerumq; ab eo gestarum cum primis peritus, cujus proinde auctoritas in Principis hujus historia apud neper multum valet. Vid. de ejus genere, vita & morte, Radevici de gestis Friderici I. totum cap. XI. lib. 2. p. 296. Edit. Basil. 1569. & in primis de ipsius cum Aenobarbo cognatione Abb. Ursperg. in Conrado III. p. 295. Edit. Argent. A. 1537. & quæ incomparabilis nostro tempore Polyhistor, C. S. Schurtzfleischius, Patronus ac Præceptor noster omni observantia cultu suspiciendus, annotavit in Disp. de Henrico Leone habita A. 1682. ad §. 5. conf. §. 3.*

II. Sequitur, ut videam, quæ porro incrementa habuerit nobilissima hæc familia, quum certiora hic atq; clariora veræ antiquitatis documenta suppetant. Fridericus igitur ille, cognomento *Antiquus*, cujus mentionem plus simplici vice jam fecimus, quæ ratione supra omnes suos antecessores exaltatus fuerit, paulò diligentius hic est perquirendum. Videlicet cum *Rudolfus de Reinfelden* post obitum *Ottonis de Suinfurt* dux Svevorum factus, (g) instinctu *Hildebrandi P. R.* adversus *Henricum IV.* arma sumeret, (h) & cum Imperatore de Imperio dimicaret, Fridericus hic *Comes de Staufen* illa tempestate in comitatu atq; ministerio Cæsaris versatus, fidelem ipsi navavit operam, atq; pro salute domini sui nullum non discrimen subire erat promptissimus juxta & paratissimus, ac, quæ erat prudentiâ, consiliis pariter atq; armis Imperatorem summa fide adjuvit. Quibus rebus Cæsaris animû adeo sibi devinxit, ut mortuo *Mersburgi* ex vulnere,

nere, quod in prælio acceperat, infelice Rudolfo, Ducatum Sueviae eidem conferret, filiamque unicam, *Agnethem* nomine, in matrimonium daret. (i) Atque eo pacto Ducatus Suevicus à Rudolphi hæredibus abalienatus, permissu beneficioque Henrici IV. ad gentem Hohenstauffiam pervenit Anno 1080. quæ insuper illo connubio cum antiquissima *Saliquorum* (1) stirpe ætissimo propinquitatis vinculo fuit conjuncta, eandemque ob causam tandem in summum honoris ac potentiae fastigium evecta, quemadmodum ex mox dicendis intelligi poterit.

(g) Vid. Ursperg. [alio nomine Conradus à Liechtenaw appellatus, fuit Abbas Cœnobii Urspergensis, ordinis Præmonstratensis, ad Mindulam, in Augustana diœcesi, ac circa an. 1230. floruit, diligens rerum Germanicarum scriptor, iudicio Melanchthonis in epist. dedic. præmissa. In Henrico IV. Chron. p. 232. (h) Frising. de gestis Frider. I. lib. 1. cap. 7. Ursperg. l. c. p. 235. (i) Vid. Frising. lib. alleg. cap. 8. ubi etiam in Friderici hujus laudes effunditur.

(1) de familia Saliquorum ex mediæ ævi scriptoribus vv. Frising. Chron. lib. 6. cap. 28. & Ursperg. Chron. p. 286. ubi eosdem natione Francos fuisse docent, & Conradum II. Saliquum, Imper. ex parte patris à Conrado Wormaciensium duce profapiam duxisse, ex parte matris ex antiqua Clodoveorum stirpe descendisse, insuperque uxorem Gisilam de sanguine Carolorum oriundam habuisse, perhibent, atque hanc ob causam Henr. Stero Enobarbum nostrum ex Clarissima Carolorum progenie natum affirmat; Annal. pag. 229. Hi autem Salici principes, in primis Henrici Cæsares, Conradi Salici posteri, de Waiblingen quoque [oppido hodie ditionis Württembergica] oriundi dicebantur, quoniam ibi nati atque educati fuerant, testibus Ursperg. l. c. Henr. Bebelio in Epit. Laud. Svev. pag. 38. Atque hinc etiam ob allegatam nempe in S. cognationem Saliquam Enobarbus se de familia Waiblingensium ortum traxisse gloriatus est, apud Ursperg. 296. conf. Crusium, Annal. Svev. part. 2. lib. 3. p. 91. Adhæc omnes post Hohenstauffii generatim, utpote Saliquorum in Henrico V. proximè extinctorum cognati atque hæredes, itidem Waiblingenses appellati sunt, vel ex eo quoque capite, quod illorum quidam Waiblinge fuerant educati, quemadmodum de rege Conrado III. Martinus Crusius part. ead. lib. 10. p. 376. ac de Friderico I. Imper. Aventinus Annal. Boj. lib. 6. p. 371. memorant, licet uterque in castro Hohenstauffensis natus. conf. Felicem Fabri, lib. 1. cap. 11. Hist. Svev. p. 97.

qvi

epi Fridericum (*Monoculum, Ænobarbi patrem*) *Weiblingæ à nutrice lactatum fuisse refert.*

§. III. Ceterum primus de sanguine Hohenstauffiorum dux Sveciæ Fridericus Antiquus duobus filiis , Friderico ac Conrado & Lucia filia (m) ex Agnete conjugē suā procreatis , morte defunctus in monasterio *Laureacensi* (n) in proprio fundo suis expensis constructo, humatus est, eiq; in ducatu Sveciæ successit filius natus major, *Fridericus*, à nonnullis *Monoculus* (o) appellatus, qui *Juditha Guelfa Altdorfensi* (p) sibi nuptiis juncta, Fridericum ex illa Ænobarbum, postea Imperatorem, nec non Juditham (quæ Matthæo Lotharingiorum duci nupsit;) genitricis nomen referentem genuit.

(m) *aliis Luitgardis vocata, nupta fuit Conrado, Marchioni Misnia, & fundavit splendidum illud ad Danubium Cœnobium Elchingense, ab Ulma milliare unum distans, quod descripsit prolixè Felix F. lib. 2. Hist. Svec. conf. Crusium Annal. Svec. part. 2. lib. 8. p. 254.*

(n) *quod fundavit A. 1102. quo etiam obiit. Antea eo loco arxerat, ubi nunc est monasterium Laureacense, (quod sedulo distingvas velim ab altero ejusdem nominis monasterio Laureacensi in finibus Vangionum, quod etiam Laurishamense vocant scriptores veteres.) Loricense quoq; ac vulgato hodie nomine Lorch appellatum, ex descriptione Felicis super Ramasium inter Gamündiam & Schornopiam (forte Schorndorffium) situm, in quo solemnes Hohenstauffiorum sepulturas suo tempore visas fuisse idem tradit, atq; hodiernum Friderici hujus Antiqui epi apbium ibidem extare, auctores habeo satis idoneos. Fuit autem in Papatu quondam Ordinis Benedictini domicilium, nunc vero sub potestate Illustriss. ducis Würtemb. est. Vid. Felix F. lib. 1. H. S. cap. 12. p. 100, 101. Martinus Crusius A. S. part. 2. lib. 4. p. 103. & part. ead. lib. 8. p. 254.*

(o) *Ursperg. Chron. p. 287. conf. Crusium c. l. ult. ubi illum ἐπερόφθαλμον, unioctulum, & luscum appellat. de rebus ejusdem præclarè gestis v. Frising. lib. 1. de gest. Frid. l. capp. 12, 13, 14. de obitu cap. 39.*

(p) *quæ filia fuit Henrici Guelfi Noricorum (sive Bojorum) ducis, atq; Henrici Superbi soror. Otto Frising. l. c. cap. 14. Ursperg. Chron. p. 289. conf. Crusium c. l.*

§. IV. At vero Conradus Friderici Monoculi frater Ducatum Franconiæ (q) concessu beneficioq; Henrici V. Imperatoris,

ris,

ris, Saliquorum masculæ stirpis ultimi, (cujus ex sorore nepos fuit Conradus Hohenstauffius,) accepit, & postea extincto sine filiis Lothario Saxone, (r) *Confluentia* propter necessitudinem Saliquam potissimum Romanorum rex consalutatus, atq; Henrico superbo Lotharii Cæsaris genero, (s) Vincentibus Francorum Svevorumq; suffragiis, antepositus fuit. (t)

(q) *quæ & Francia orientalis ætatis mediæ Scriptoribus appellatur, atq; antè ditionis Salicæ fuerat, quam in potestatem Hohenstauffiorum pervenit.* (r) *ex familia Saxo-Supplinburgia.* (s) *cum Filia namq; Lotharii unica Gertrude matrimonium contraxerat Henricus superbus.* Ursperg. Chron. in Lothario II p. 287.

(t) Vid. Frising. Chron. lib. 6. cap. 22. Ursperg. in Conrado III. p. 292.

§. V. Atq; ex dictis nunc facile intelligi potest, quomodo Hohenstauffii è mediocri conditione vitæq; statu minus olim splendido temporis successu ad summum orbis terrarum culmen ac fastigium per gradus tandem ascenderint, & famam à majoribus per manus acceptam honestis rebus factisq; egregiis magis magisq; auxerint, & potentiam suam atq; opes virtute juxta ac nobilissimarum familiarum affinitate nimium quantum firmaverint.

§. VI. Quibus ita commemoratis, & necessariò quasi præmissis, propius ad Ænobarbum accedimus. Hic igitur Fridericus, (ob barbam & capillum *rufum* (u) *Barbarossa* ab Italis vocatus, Conrado III. (x) patruo vita defuncto, anno Domini 1152. Francofurti unanimi principum consensu & suffragio Romanorum Imperator est electus, & Friderico Conradi regis (y) filio adhuc parvulo de industria præpositus, non solum ob singularem ejus fortitudinem atq; prudentiam, (z) quæ juvenem hunc omnibus jam dudum ultrò haud vanis indiciis commendaverant, sed etiam ex eo capite, quòd in hoc principe nobilissimæ conspirarent *familie Saliquorum sive Henricorum de Guibeliniga, & Guelforum de Aldorsio*, (a) quas inter hætenus graves non rarò lites ortæ sunt atq; amulationes, (b) quibus cum reipublicæ, tum familiis istis multò potentissimis magna pernici-

es est allata, hac autem occasione diutinas illos virorum fortissimorum simultates ac dissensiones maximo reipublicæ emolumento, sopiri posse, sperabant principes, si Ænobarbum, utriusq; sanguinis consortem, caput imperii constituerent.

(u) Ænobarbum barba & capillis, imò toto corpore rufum fuisse testatur Ursperg Chron. in Frid. I. p. 295. & 313. eumq; præterea corpore robustum, facie satis eleganti, statura mediocri, magis tamē longa quàm brevī fuisse ibidem affirmat, atq; formam dotesq; ejusdem copiosius exponit. Quod ex eo repetit Felix F. lib. I. H. S. cap. 12. p. 102. de forma & moribus Friderici I. conf. omnino Radevicum lib. 2. de gestis ejusdem, cap. 76. (x) in serie regum Germania, verum in serie regum Romanorum II. hujus nominis; cujus nepotem Ænobarbum fuisse falsò asserit Matthæus Paris, Anglus monachus, in Stephano, Angl. rege, ad an. M. C. LI. pag. 82. Edit. Tigur. A. 1589. scriptor ceteroquin verax judicio Bœcleri coment. de scriptoribus &c. Sec. XII. p. m. 97. & 102. sed qui ad suæ gentis, quàm exterorum historiam perscribendam fuit attentior, adeoq; in circumstantia facile impingere potuit. De cetero Fridericum I. Conradi regis ex fratre nepotem, sive ut Frising. loquitur, fratrualem fuisse, ex domesticis scriptoribus liquidò constat, atq; ex supra propositis etiam innotescit. (y) rex duntaxat Romanorum, non verò Imperator, juxta curiæ diplomatumq; formulam dicendus est Conradus. Vid. Dn. Schurzfleisch. Disp. supr. alleg. in annot. sua ad §. 5. (z) de rebus ejusdem egregiè fortiterq; gestis in adolescentiâ, patre adhuc vivente, & quomodo cum Conrado patruo unâ in orientem adversus Saracenos fuerit profectus, uberiùs persequitur Frising. lib. I. de gestis ejus, capp. 25, 26. & 59.

(a) Cave hic confundas locum istum cum Altdorsio Academia nobilitato, reiç publicæ Norimbergensi hodie subiecto, à quo prorsus diversum est Guelforum Altdorsum, hoc etenim in Svevia situm esse certum est, & quidem in Algavia, quam vocant, nec nisi milliariis dimidium Germanici distat à Ravenspurgio urbe nunc Imperiali; vicus ibi hodie num appellatur Altorff, sed ubi quondam in monte proximo castellum Altorffense fuerat, eo loco jam monasterium Weingartense est situm; Quorsum vid. Anonymus Weingartensis Monachus (ab Henr. Canisio ex Codice M. S. C. Augustano editus an. 1601. Ingolstadii.) in Historia de Guelfis Principibus p. 184. ubi Guelfonem illum designat, qui monasterium hoc antiquum fundaverit in honorem S.

Mar-

*Martini, & nomen Wingarten imposuerit. Hinc etiam Canisius in
 præfat. ad Lectorem p. 176. laudatum modo scriptorem, & Altorfen-
 sem & Weingartensem permutatim nominat. Ab hac itaq; arce
 Guelfi olim appellati fuerunt Altorfenses nobiles sive ab Altorff, vel
 quemadmodum integer ipsorum titulus apud Monachum Weingar-
 tensen lib. cit. p. 177. habet: Welfi principes de Altorff, & Domini
 in Ravenspurg. Præter Ravenspurgium Memminga quoq;, ac plures
 alia Svevia superioris urbes sub Guelforum ditione fuerant. Aventinus
 Annal. Boj. lib. 6. p. 380. & p. 395. Quocirca Guelfos fuisse genere Sve-
 vos, extra omnem dubitationem est positum, id quod etiam Aventinus,
 studiosissimus antiquitatum indagator, diserte affirmat, cujus verba
 lib. 6. Annal. p. 372. hæc sunt, quatenus ad meum institutum pertinent:
 Fuit in Svevi. gens ab Altorff præcipua, ex qua Welphones, qui &
 Wolfhardi, Wulfinger, [quos Itali Guelphones nuncupant.]
 præcreati sunt cf. lib. 5. p. 368. Sed postea duces Bojaria facti sunt Guel-
 fi, eodemq; ducatu centum atq; novem annos potiti. Idem lib. 6. p. 372. de
 Welfone IV. primo ejus familiae Duce Bojaria vid. Weingart. lib. cit.
 p. 185. Quin imò tandem Guelfi à Lothario II. Imper. duces quoq;
 Saxonia sunt creati, posteaquam Henricus Superbus filiam ejus Ger-
 trudem matrimonio secum junxerat, qui uno eodemq; tempore duos
 ducatus Bojariae & Saxoniae possidebat, sicut & Henricus Leo, ejus filius.
 ibidem p. 190. Ceterum quinam primus ab Altorff Welphonis cogno-
 men tulerit, & qua occasione, item de Guelforum ultima origine, po-
 tentia & rebus gestis, vid. ex antiquis Ursperg. in Lothario Sax. p.
 287. seqq. Weingartensis Monachus supra laudatus in Hist. de
 Guelfis Principibus. Ex recentioribus autem Aventinus Annal.
 Boj. lib. 6. integro, Reinerus Reineck in der Chronica des Chur-
 und Fürstlichen Hauses der Marggrafen zu Brandenburg [ubi
 ex vetustissimo Atrani Gebule Chronico Guelforum originem, prosapi-
 am, & c. eleganter investigat, & quomodo ex Guelfis per Henricum Leo-
 nem omnes Duces Brunswicenses & Luneburgenses descendant, proli-
 xiùs ostendit, imò Comites quoq; Zolrenses & Marchiones Brandenbur-
 gicos ex Guelforum prosapia originem ducere, multis ibidem proba-
 tum ivit.) Edit. Wittenberg. an. 1580. & novissimè Gabriel Buce-
 linus, itidem Weingartensis sed nostro tempore Monachus, (quem ma-
 gnâ laudem scribendis Guelforum rebus promeritum esse,
 censet Dn. Schurzfl. Disp. cit. §. 2.) in historia Agilolfingica; edit.
 A. 1662. Augusta Vindel.*

(b) de capitali hoc atq; hereditario inter emulas istas in Suevia familias odio præter Frising. de gestis Frid. I. lib. 2. cap. 2. & Ursperg. Chron. in Frid. I. p. 295. vid. omnino Aventinum Annal. Boj. lib. 6. p. 372. nec non quæ Vir nostra laude major C. S. Schurzfl. de Guelforum atq; Hobenstauffiorum [qui Saliquorum proximè demortuorum causam pariter & odium susceperunt.] sigillatim Henrici superbi & Conradi regis emulationibus, magnisq; simulatibus accuratè commentatus est in Dissert. sæpe laudata de Henr. Leone. §. 6. cf. §. 5. Atq; ex istis dissensionibus famosa post factiones Guelforum Imperatoribus rebellantiam, & Gibellinorum Cesaribus obsequentissimorum sunt exorta. Hinc suo adhuc tempore Italiam fautores atq; amicos Cesaris Gibellinos, hostes Guelfos vocitasse, memoria tradidit Aventinus l. c. conf. Felic. Fabri lib. 1. cap. 11. p. 97. seq. ubi primam in visoribus horum nominum originem atq; occasionem recenset, & quomodo ex Weibelinga Itali sua lingua Gibelin, atq; ex Welf, Guelf [mutata pro more sue Germanicæ literæ W. in G.] formaverint, curiosè ostendit.

§. VII. Prima etiam cura principis nostri fuit, ut pacem ac concordiam inter Germaniæ principes faceret ac instauraret, omnemq; movit lapidem, quo tandem controversia illa atq; dissensio Henricum inter Marchionem de Austria patruum suum & Henricum Leonem Saxoniam ducem, avunculi sui filium, super ducatu Bojariæ excitata, sine sanguinis effusione terminaretur. (c) Etenim Conradus III. Henricum superbum Leonis patrem, quod Cæsaream concupiscens dignitatem multa in se molitus esset, proscriptum ducatu Bojariæ multaverat, illumq; Leopoldo Austriæ Marchioni, atq; eo defuncto, fratri ipsius Henrico lege beneficiaria contulerat. Exinde Germania in partes distracta, valdeq; turbata fuerat, ac multum sanguinis utrinq; fusum. Quocirca Fridericus pessimæ huic rerum faciei, turbulentoq; patriæ statui præsentissimum allaturus remedium, aliquot celebravit Comitium Imperii, Herbipoli primum, deinde Spiræ, [irrito semper conatu, quandoquidem Henricus Austriacus Norico ducatu semel sibi collato cedere, idem tamen detrectabat,] deniq; in curia Goslariæ habita Henrico Leoni

avitus

avitus Bajoariæ ducatus iudicio decretoq; principum adjudica-
tur. Cæsar namq; finem negotio imponere cupiebat, ut pacatâ
prius Germania, expeditionem Italicam coronæ imperialis ac-
cipiendæ, auxiliique Apulis à Rogerio patriâ pulsus ferendi gratiâ
decretam securus susciperet, cuius itineris socium Henricum
Leonem, juvenem armis strenuum, habere exoptabat. Sed vero
neq; hac vice omne dissidium fuit sublatum, quandoquidem
Henricus Austriacus in Comitibus Goslariensibus publico edicto
evocatus, ne apparuit quidem, nedum juri suo in Bajoariam
renunciavit.

(c) Frising. de gest. Frid. I. lib. 2. cap. 7. & 11. Ursperg. in Eod. p. 295.

IX. Tum demum consummatâ expeditione Italica, prin-
ceps Roma rediens, cum patrum suum denuo ad transigendum
cum duce Saxonie semel atq; iterum esset adhortatus, in Comi-
tibus Ratisbonæ habitis totam litem ac controversiam termina-
vit tali compositione facta: ut Henricus Marchio Austriæ
cederet & renunciaret omni juri in ducatum Bajoariæ, eundem
vero Henricus Leo reciperet, excepta duntaxat Marchia Orien-
tali (sive Austriæ) hæcenus Ducatui Bojariæ lege beneficiaria
obnoxia, quam Imperator consensu iudicioq; principum à juris-
dictione Ducis Bojariæ exemptam, adjunctis ei quibusdam de
Bojaria Comitibus, in Ducatum, qui deinceps nullo interjecto
ad Imperium pertineret, convertit, patrumq; suum Henricum,
ne Ducatus Norici (d) resignatione nomen Ducis prorsus per-
deret, *primum Austriæ Ducem* creavit. Acta sunt hæc anno M.
CLVI. sicut patet ex diplomate Friderici I. Imperatoris, quod
exhibet *Henricus Stero* (e), atq; ex eodem fontes hujus rei ve-
rissimæq; capita omnium certissimè hauriuntur.

(d) Ducatus Bajoaricus apud antiquos scriptores vocatur quod Nori-
cus, cuius metropolis olim fuerat Ratisbona, Ducumq; Bojariæ sedes, at
verò Guelfis Ducatu isto multatis atq; ejectis, de potestate Ducum ex-
empta, urbsq; libera & Imperialis facta est. Vid. Aventinum lib. 6. p.
398. & Dn. Schurzfl. in Dissert. vice plus simplici à nobis allegata,
& quidem §. 3. ad quam insuper annotavit scriptores, qui præter Aven-

tinum de Veteris Norici finibus doctè commentati sint, Marcum nempe Velferum in libris rerum Boicarum, Hier. Megiserum Chr. Corinth. lib. 3. atq; ab Noricorum populo dictum esse castrum Noricum, sive Norimbergam, ibidem docuit.

(e) in Annalibus p. 231. seq. Hunc Steronem Monachum, ex codice MSC. Augustano inter alios mediæ ævi scriptores edidit Henricus Canisius An. 1601. Ingolstadii. Ceterum diploma hoc extat quoq; in Austria Cuspiniani, conf. Aventinum Annal. Boj. lib. 6. p. 390. qvi p. 389. memorabilem illam sub Friderico I. mutationem factam sic describit: *Sentiã principum ea portiuncula Norici atq; Bojarie, quæ ab ostiis Oeni, ad ostia Anassi, orientis ad oram, cum Danubio 60000. passuum extenditur & supra Anassum regio cognominari solet, divulgata occidentali Bojaria, orientali conjungitur: Bojariaq; in duos ducatus divisã, sub duobus legatis Cesaris constituta est, alter Austriacus, h. e. orientalis: alter occidentalis simpliciter Bojarici exercitus dictus est ductor. hætenus Aventinus. Ex quibus proinde intelligitur, potentiam Ducum Bojarie non parùm fuisse diminutam, posteaquam Marchia Bojarie (quæ aliàs mediæ ævi scriptoribus Austria, sive Marchia Orientalis dicitur) Ducatus dignitatem atq; honorem suscepit, antea enim quatuor Marchiones Austriæ, Styriæ, Istriæ, Cambensis, qui dicebatur de Vohburg, evocati ad celebrationem curiæ Ducis Bavarie venire tenebantur, teste iterum Henr. Sterone l. c. Totam verò hanc rem uberiùs exposuerunt Frising. de gestis Frid. I. lib. 2. cap. 39. Güntherus [ejus tempestatis poëta elegantissimus, cujus opus cum auctore non est confundendum, quasi Ligur fuisse] Ligurini lib. 5. sub finem. Ursperg. p. 296. Chron. Weingartense (itidem à Canisio editum) p. 221. Joh. Trithemius Chronico Ducum Bavarie p. 109. Edit. Francof. An. 1601. & supra allegati.*

IX. Præterea Ænobarbus avunculo suo Guelfoni, ut favorem ejus plenè obtineret, Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, principatum Sardinie, & totam terram Mathildis comitis, sub clientelari tamen beneficiarioq; nexu contulit. Et Cunradum fratrem suum Comitem Palatinum Rheni effecit (f).

(f) Vid. Ursperg. in Frid. I. p. 296. Chron. Weingart. p. 221.

X. De cetero corona Romana Fridericus ab Hadriano

IV.

IV. P. R. fuit redimitus Romæ An. M CLV. destructisq; aliquot rebellibus Italiæ urbibus, ac firmata in illis regionibus auctoritate sua, in Germaniam rediit. (g) Quia vero se absente Arnoldus Moguntinus Archiepiscopus & Hermannus Rheni Palatinus Comes totam pene Rheni provinciam ferro, flamma, publicisq; congressibus perturbabant, Archiepiscopo quidem ob senii morumq; gravitatem & sacri ordinis reverentiam pepercit, at vero Palatinum, magnum imperii principem, probroso supplicii genere multavit, illumq; una cum sociis decem comitibus ejusdem criminis reis canes per milliare Germanicum portare coëgit. (h) Qua laudabili sanè severitate tantam sibi apud omnes comparavit auctoritatem, ut in posterum nemo tumultuari, pacemq; publicam turbare facile præsumeret, sed universi quieti studere mallent.

(g) Frising. de gest. Frid. I. lib. 2. cap. 22. sqq. conf. Joh. Trithemium in Chron. Hirsaug. ad An. MCLIV. p. 137.

(h) Frising. lib. eod. cap. 28. Trithemius in Chron. Hirsaug. l. c. ubi nomina illorum comitum, simul canes portantium recenset. nec non Chron. Sponheim. p. 253 Frisingensis autem verba, de gestatione canum apud priscos Germanos usu receptâ, ex cap. alleg. subtexere opera pretium esse duximus: vetus, ait, consuetudo pro lege apud Francos & Suevos inolevit, ut si quis nobilis, ministerialis vel colonus coram suo iudice pro hujusmodi excessibus [*pacis publicæ violationem absente Casare subintelligit.*] reus inventus fuerit, antequam mortis sententia puniatur, ad confusionis suæ ignominiam nobilis canem, ministerialis sellam de comitatu in proximum comitatum gestare cogatur. *Quem morem Güntherus quoq; poeta, Ligurini lib. 5. p. 70. Edit. Basil. an. 1569. eleganter hisce expressio-
verbis:*

-- *vetus mos est, ubi si quis Rege remoto,
Sanguine, vel flamma, vel seditionis aperta
Turbine, seu crebris regnum vexare rapinis
Audeat, antè gravem quàm fuso sanguine pœnam*

Ex-

Excipiat, si liber erit, de more vetusto

Impositum scapulis ad contigui Comitatus

Cogatur per rura canem confinia ferre,

Sin alius, sellam. -- -- --

Quo de legi quoq; meretur Georgii Sabini tetrastichon, quod exhibet Cl. Henr. Meibomius ad Sleidan. de IV. Summis Imperiis lib. 3. in Frid. I. ubi plures hac de materia scriptores invenies allegatos.

XI. Contracto circa idem tempus novo matrimonio Imperator potentiam opesq; domus suæ non parùm auxit atq; firmavit; repudiatâ namq; ob vinculum consanguinitatis conjugæ priori Adila, Marchionis Diepoldi de Hochburg filiâ, (i) Beatricem Reinaldi comitis Bisuntini, de antiqua illustriq; Burgundionum prosapia originem trahentis, filiam unicam, celebratis Herbipoli regio apparatu nuptiis, duxit uxorem, quæ non tantùm Burgundiam propemodum universam, sed & Provinciam marito suo dotis titulo attulit, adeoq; hoc pacto regnum Arlatense Imperio jamdiu alienatum postliminiò restituit Cæsar, episcopis ac proceribus terræ illius fidelitatis sacramento sibi obstrictis, ipsis vicissim *beneficia* sua de manu Imperatoris more recepto suscipientibus. (1) Cetera res quemadmodum acta fuerit apud Burgundiones, monumentis sedulò prolixèq; commendavit *Radevicus*, (m) candidus atqve probus ejus tempestatis scriptor.

(i) *Divortium hoc in Synodo Constantiensi per Apostolica, ut loquuntur, sedis legatos est factum; Adilam postea Dietbo de Ravensburg, Cæsaris minister, duxit uxorem. Frising. lib. 2. cap. 11. de gest. Frid. I. Ursperg. Chron. p. 297. gravissimum exinde in Ecclesia scandalum exortum fuisse testatur Trithemius Chron. Hirsaug. ad An. MCLVI. p. 137.*

(1) *Frising. lib. eod. cap. 29.*

(m) *de rebus gestis Frid. I. lib. 1. cap. 8. & 11. erat Radevicus Frisingensis Ecclesiæ Canonicus; Historiam de gestis Frid. I. ab Ottone, Episcopo Frisingensi, cœptam ipse continuavit.*



